

02 H 1184

R

G

D.



DE  
EXIMIA  
R H A B A R B A R I  
VIRTUTE MEDICA  
IN MORBIS QVIBVS DAM CHRONICIS

---

E DECRETO  
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE  
IN REGIA FRIDERICIANA  
PRAESIDE  
D. IOAN. CHRISTLIEB KEMME  
MEDIC. PROF. PVBL. ORDIN.  
ET ACAD. IMPER. NATVR. CVRIOS. SODALI

PRO  
GRADV DOCTORIS  
RITE OBTINENDO

D. III. APRIL. MDCCLXXI.

PUBLICE DISPVTABIT

AVCTOR

GOTTLOB GERBER

LVBENA SILESIVS.

---

HALAE

STANNO HENDELIANO.





V I R O  
EXCELLENTISSIMO - EXPERIENTISSIMO  
DOCTISSIMO QVE  
DOMINO  
**TOBIAE GOTTFRIED PIERNER**

SACR. CAESAR. REG. APOSTOL. MAIEST.  
PRAEFECTO CHIRVRGORVM, QVI MILITVM,  
IN BOHEMIA STATIVA HABENTIVM, CVRAM GERVNT,  
ET INSPECTORI  
NOSOCOMIORVM MILITARIUM PRAGENSIVM  
DIGNISSIMO, MERITISSIMO, VIGILANTISSIMO

A V V N C V L O S V O  
PIA MENTE AETERNUM DEVENERANDO

HANC  
DISSERTATIONEM ACADEMICAM  
VT  
PIETATIS MONUMENTVM  
CVM VOTO  
OMNIGENAE PROSPERITATIS  
SINCERRIMO  
D. D. D.  
OBSEQUENTISSIMVS NEPOS  
GOTTLOB GERBER.





SECTIO PRIMA.  
DE  
NATVRA  
MORBORVM CHRONICORVM GENERATIM.

---

§. I.

*Definitio morbi chronicī.*

**D**uratio morbi definitur ex tempore, quod, dum morbus corpori praesens inexsistit, praeterlabitur. Quae si longior sit <sup>1)</sup> morbus vocatur *chronicus*. Intelligitur hinc, chronicum morbum tam acuto, quam breui opponi debere; posse morbum chronicum vel vitae periculo stipari, vel eo carere; nil impedire, quo minus, vnum idemque morbus, modo breuis, modo acutus, modo chronicus habeatur; posse quemlibet morborum intermittentium chronicorum paroxysmum, rarissimis quibusdam casibus exceptis, morbum aut acutum, aut breuem iudicari; morbos acutos, saepius reciduantes, recte his aequiparari; nos demum, morborum chronicorum originem indagantes, oportere tam ad vires naturae nostrae medicatrices, quam ad artis auxilia, relata ad caussas morborum, quos diximus, respicere.

§. II.

1) SWIETEN *Commentar. in Aphorism.* BOERHAAVII Tom. II. pag. §. 9.  
GAUBII *Instit. pathol. medic.* p.m. 480.

A



## §. II.

### *Ortus morborum chronicorum generatim consideratus.*

#### 1. Ob virium languorem.

Enimuero, attenti ad morborum progressum, perspicimus, plerunque accidere, ut irritatae corporis nostri vires validius agant, siccque, cum causa morbifica, pugnam quasi quandam committant. Sagaces medici id diu notarunt<sup>2)</sup>. Quodsi itaque morbum quendam sic concipias, ut singas, vires naturae nostrae in ipsum vel parum, vel nulla plane, vel ea ratione niti, ut causa morbi confirmetur continuo: fiet hinc omnino duratio morbi longior, ni forte aut morbus leuior fuerit, aut artis auxilia defectum suppleant, aut causa morbi eius sit indolis, ut, vel ob ipsum virium defectum, mortem citius inferre queat. Potest vero is casus incidere, quando *vel* vires corporis, ante ingressum morbi, debilitatae sunt; *vel* morbus, ex indole sua, vires fractas ponit; *vel* causa morbi aut non incitat vires, aut, his licet incitatis, minui nequit, aut adeo lente succrescit, ut vires ipsi adsuescant, aut frequentius renascitur atque semetipsam confirmat; *vel* demum vires, vigente morbo, ex quacunque accidentalis causa, plus iusto deferuntur. Nec recedit ab his, quae diximus, experientia. Videmus acria, sanguini illata, pro virium ratione, morbos modo acutos, modo chronicos inferre; paralyses et debilitatem haud raro morborum chronicorum imaginem repraesentare; idem dici de plethora, spissitudine, stasi humorum lenta, acreidine successiue enata, scirrhis, cancro, epilepsia, febribus tam lenti, quam intermittentibus similibusque morbis debere; abusum demum venae sectionis, nitroforum similiumpque remediorum in acutis, viam nituis frequenter ad chronicos morbos sternere. Neque praeteruidit haec omnino SYDENHAMUS<sup>3)</sup>. Vbi continens, inquit, morbi materia eius est indolis, ut febrem in partes suas pertrahere non valeat ad dictae materiae separationem uniuersalem; aut cum huiusmodi materia parti alicuius affigitur,

quae

2) SYDENHAM Oper. omn. pag. 19 seq.

3) I. m. c. pag. 20. 21.

quae eidem explodendae prorsus est impar, sive ob propriam conformatiōnem- vel ob defectum caloris naturalis et spirituum- vel denique ob continuum materiae nouae affluxum, qua sanguis vitiatus et ad eiusdem eliminationem vnicē dispositus, partem obruit gravatque: in his, inquam, casibus vel tarde admodum ad coctionem peruenit materia, vel non omnino, adeoque morbi, ab huiusmodi materia inconcoctili prouenientes, chronici et nuncupantur et sunt. Censet etiam, hinc quoslibet chronicos morbos prouenire.

### §. III.

#### 2. Ob vires male directas.

Vt morbi, ope virium naturae, recte tollantur: non iusto solo gradu eas operari oportet, sed caeterae quoque actionis, quam exserunt, conditiones, ad caussam morbi, quam optime citissimeque aut expellendam, aut subigendam, conspirent necesse est. Sic variolosum morbum male sanat natura, quando materiam, quae genuit illum, nec citius quidem fortiusque, nec tardius debiliusque mouet, at partibus insert, quam optime ipsi eliminandae imparibus. Nascitur hinc idea illius virium nostrarum status, vbi *male directae* dicuntur. Quando nempe vires naturae in morbum nituntur quidem, at male, idque *ob modum*, quo in eundem agunt: id *malam virium directionem* nuncupant. Atque inde morbi chronicci possunt omnino oriri. Fac enim, materiam excrementiam, a viribus humanis, propelli ad partem quandam, per quam aut nulla ratione, aut parcus eliminari potest: sequitur, morbum debere longius protrahi, nisi vel ars naturae succurrat, vel minor materiae copia adsit, vel materia ipsa, illata parti, citam queat mortem prouocare. Sic obseruamus, acre, in sanguine collectum, per chronicam quandoque tussim expelli, citius omnino evanescens, si per cutim facta excretio fuisset. Præcipuae huius vitii caussæ latent in viribus aut excedentibus, aut languentibus; in sensititate nimia; in torpore aut vniuersali, aut particulari; in irritamento quodam, partes nimium sollicitante; in peccatis contra

diaetae regulas; in vesano medicamentorum usu, quo turbantur molimina naturae. Confirmant haec obseruationes 4).

#### §. IV.

##### 3. Ob indolem remediorum, quibus vtuntur.

Cum remedia medica vires naturae adiuuent, atque, salutarem suam virtutem exferentia, morbos saepe citius tollant, quam sponte sua sublati essent: duratio morborum non ex viribus solum naturae, sed ex indole quoque remediorum, quae adhiberi possunt debentque, determinanda venit. Atque ideo haec, in considerando morborum chronicorum ortu, omitti nequeunt (§. I.). Quodsi enim morbo, qui, relatus ad vires humani corporis, chronicus est (§§. II. III.), remedia aut nulla, aut inualida, aut eius indolis opponantur, quae vel vires naturae male afficiunt (§§. citt.), vel caussam morbi sic mutant, ut nequeat dein sat cito superari: conditio ista aut efficiet chronicam morbi indolem, aut confirmabit eam. Docebunt id exempla. Sic plethora, omissa venae sectione, in morbum chronicum degenerat; cancer, vlcera qualificata morbi sunt chronici, quod medicina destituitur sat validis remediis, atque idem de febribus lenti similibusque morbis valet; febres intermitentes saepe ideo tantum chronici existunt morbi, quod medici nolunt peruviano cortice vti; acredo catarrhalis, in sanguine oberrans, chronica euadit affectio, quando venae sectione, nitrosis atque aliis remediis nimium debilitatur aeger; russis denique, propter abusum remediorum, pulmones relaxantium, magis magisque protrahi potest. Plura adiici possent, sed haec sufficient.

#### §. V.

- 4) Excessus virium, si in se spectetur, morbos chronicos minime producit. Quando enim celerius, contra caussam morbi, natura operatur: morbus modo brevis, modo acutus enascitur. Atqui excessus virium celeriores producit effectus. Potest interea virium excessus viam ad chronicos morbos sternere; quando vel vires prosternit, vel caussam morbi producit, lenire aut numquam soluendam, vel efficit, ut vires naturae nostrae male dirigantur.

§. V.  
*Consecataria.*

Potest iam e dictis patere, ortum morbi chronicī duo sibi vindicare momenta, *causam* nempe in morbificam, aut numquam, aut tardius, a viribus naturae, soluendam (§§. II. III.), *vsum* dein *remediorum* aut in ualiderum, aut intermissum (§. anteced.); partes vitales aut plane non, aut sic a morbis chronicis affici debere, ut vel nullum inde, vel tale vitae periculum enascatur, quod tardius increscit; morbos chronicos a rigiditate fibrarum, laxitate solidorum, sensilitate vel nimia vel alienata, vermbus, spissitudine atrabilaria, visciditate et inertia humorū, cruditate, in primis viis collecta et quiescente ibi, defectu humorū, aquositate et tenuitate eorum nimia, stasi aut lente, aut cito quidem, sed ea ratione enata, ut ipsi facile tollendae impares sint vires tam corporis humani, quam remediorum, acrimonia humorū tam crassiori, quam subtili aut inuoluta, aut lentius parcisue producta, ab horum denique omnium caussis passim atque effectibus, quam facillime ori-ri; chronicos ideo morbos semetipsos augere, idque ob debilitatem maxime, quam inferunt; eos maxime in neruis, primis viis et partibus laxis, multo sed tarde moto aut ténaciori fluido repletis, residere, exemplo epilepsiae, mali hypochondriaci, phthisis, febrium lentarum, hydropsis, cachexiae, scirrhorum hepatis & lie-nis, similiū; facile accidere, ut morbi chronicī periodice re-currant, cūm periodicorum morborum sedes p̄e caeteris in neruis atque primis viis quaerenda sit §); chronicorum morborum caussas, in uno eodemque aegro, commutari posse, sic, ut plures se ipsas excipiant, morbo aut perdurante, aut rēcidivante, cuius rei ratio in primis ad debilitatem reddit; primas vias, vitio, sub ingressum morbi chronicī, immunes, mora tamen temporis quam facillime laedi; congestiones humorū ad partes, in morbis chronicis laesas, plerumque nocuas esse; remedia, quae vires

A 3

cor-

§) BÜCHNERI Diff. de primis viis morb. period. frequent. sede. Medicus  
von periodischen Krankheiten.

corporis valdopere incitant, licet videantur debilitati opposita esse, paucissimis casibus exceptis, minus esse salutaria, in morbis chronicis, existimanda, cum non solum maiorem soleant debilitatem relinquere, sed etiam congerant humores facile ad partes, iam affectas, motusque excitent intestinos, haud raro, in summum aegri detrimentum, cedentes; idem fero de remedii fortiter euacuantibus dici debere, idque eo magis, quo certius sit, quod inde naturales facile excretiones laedantur; non minimum denique eorum symptomatum, quibus multi stipantur morbi chronicci, numerum pendere a debilitate labequer, primis viis inducta.

## SECTIO SECUNDA.

DE

# MEDICA RHABARBARI VIRTUTE GENERATIM.

§. VI.

*Mixtio Rhabarbari.*

Pars volatilis.

**R**heum nauseoso quadam odore praeditum est. Si diu, maxime contusum, aëri liberiori exponitur, eum amittit non solum, sed virium etiam suarum decrementum patitur <sup>6)</sup>. Quando contunditur, cum aqua ebullit, torretur, aut alias igni exponitur: specifico suo odore sat diffusa loca replet. Obseruauit BORRICHIVS, teste NEVMANNO <sup>7)</sup>, aquam rhabarbari destillatam nauseosam esse atque vi purgante gaudere. Quod cum experimentum instituerem: aquam omnino nauseosam sic prodire obseruau. Cum vero

6) NEVMANN praelect. chem. p. m. 997.

7) I. m. c. Confirmat id quodammodo BOULDÜC. Vid. Anat. chym. und botan. Abhandl. der Academie zu Paris, übers. von Steinwehr, Th. 3. S. 631.

vero spiritum vini, cuius ope pars rhabarbari resinosa se iuncta erat, abstractione inde separare: odorem et saporem eius, ab odore et sapore spiritui vini propriis, non recedere compere. Contra vero etiam rhabarbaro spiritum vini rectificatissimum addidi. Sed, instituta dein destillatione, prodidit spiritus, nec odore, nec sapore alieno imbutus. Quae cum ita sint, patet, rhabarbaro partem volatilem inesse. Huius quantitatem ad calculum reuocare non ausim 8). Impertit rheo nauseosum tam saporem, quam odorem. Ab oleofis tamen corporibus et spirituosis delinitur 9).

### §. VII.

#### 2. Pars resinosa.

Spiritum vini, tribus iam vicibus destillatum, nouae destillationi sic exposui, ut eum, ad dimidiam tantum voluminis partem, prodire sinerem. Eum admisci, decenti in quantitate, optimi rha-

- 8) Quod *partim* rhabarbarum minus recens ad nos fertur, *partim* etiam modi, quibus id perfici potest, sic comparati sunt, ut facile fallant. Quantum ego perspicio, quam optime id peragi posset, si suscepta secca rhabarbari destillatione, notaretur quantitas aquae, quae prodiit, aqua dein liberiori aeri non calido exponeretur, ut pars rhabarbari volatile abeat, tuncque denuo ad mensuram reuocaretur. Nemo vero non perspicit, nec hunc modum satis esse securum, si viatis eo, ut quantitas corporis, parcissima in copia rhabarbaro inexsistentis, definiatur. Inesse enim rhabarbaro parcissimam eius quantitatem vel ex analogia pater. Sub tostione duaram rhabarbari diachmarium lenissima, grana quindecim auolarunt. Maxima sine dubio eorum pars aqua fuit.
- 9) Notissimum enim est, quod iura carnium, vinum et infusum fabarum Coffea ingratum rhabarbari saporem opprimant. Forte indicaret quis, id ostendere etiam experimentum, mox enarratum, atque cum spiritu vini rectificatissimo et rhabarbaro caprum. Huic vero reponi posiet, quod volatile rhabarbari pars forte spiritu vini grauior sit, aut paullo fortius reliquis rhabarbari partibus adhaereat. Atque certum est, quod pars saltem volatile huius principii diu se in mixtione rhabarbari confueret, quod plus vice simplici in extractionibus rhabarbari tam spirituosis, quam aquosis, diu etiam calori expositis, obseruauit. Ex quo de novo patet, quam insufficiens sit ea, quam descripsi modo, methodus, copiam volatile rhabarbari partis definiendi. Leuior enim ignis gradus, ad eam expellendam, non sufficit, paullo grauior vero, ut me experientia docuit, rhabarbarum sat cito in sua principia resolutit.

rhabarbari vnciae dimidia, massaeque moderatum caloris gradum admouit. Cum spiritus sat tinctus videretur: nouam eius, separata priore, quantitatem adfudi, idque sollers tamdiu repetiti, donec quatuor spiritus vnciae, leuissime tinctae, per aliquot licet dies moderato calori expositae, immutatae permanerent. Nunc, omnibus massis spirituosis confusis, paravi, sueto more, extractum rhei resinosum. Impetraui eius drachmam vnam cum scrupulis duobus et granis decem. Obscure ac eleganter flauescit; parca illius quantitas sat insignem aquae copiam flauo imbuicit calore; notabili amaritie linguam ferit; minus nauseosum, quam puluis rhabarbari, existit, inde sine dubio, quod partem volatilis principii amisit; adstrictionis id effectum, linguae admotum, exserere, obseruatio omnino me docuit, licet iste qualiscunque adstrictionis sensus, saliuia copiosius affluente, a qua prompte id extractum soluitur, dein euanescat, superstite adhuc sapore amaro, qui non adeo facile linguam osque internum deserit <sup>10)</sup>. Residuum rhabarbari partem, cum iusta aquae destillatae et ebullientis portione, traetaui. Adeptus sum speciem extracti gummosi, pondere drachmae vnius. Glutinosum id mili magis videtur, minime adstringit, vix amarescit, fere omni sapore destituitur, facile situm contrahit. Reliqua rhabarbari pars, ponderans scrupulos duo, cum granis quindecim, omni dote ad terram accessit. Cinerei est coloris atque, glutinosum quoddam ipsi adhaerescere, lingua edocet, cui applicatur. Numquam vero, plus vice simplici licet gustata, adstrictionis sensu linguam meam adfecit.

### §. VIII.

10) Intelligitur ergo, veram resinam rhabarbaro inesse. Eandem veritatem docet iam fluor huius extracti in calore, quam sicca rhabarbari destillatio, quae aquam, acidum spiritum volatilem et oleum empyreumaticum suppeditavit. Spiritus cito auolat. Quantitatem vero huius resinae sat parcam esse, docet copia illarum partium, quas aqua destillata soluit (§. seq.), atque additio aquae, ad extractionem rhabarbari spirituosa facta, a qua tintura non ladescit. Conf. BOYLDUC l.c. pag. 630. GEOFFROY Mater. med. Part. II. p.m. 188.

## §. VIII.

## 3. Pars gummosa.

Optimi rhabarbari vnciae dimidiae adfudi decentem aquae destillatae quantitatem. Massam in locum moderate calidum, aliquot per dies, reposui, eamque plane eadem, ac priorem (§. anteced.), ratione tractavi. Cum viderem, aquam sic amplius vix ringi: ea effusa nouam adieci, sinens, ut massa per aliquod tempus ebulliret. E commixtis demum omnibus extractionibus aquosis confeci extractum rhabarbari gummosum, quod, si a quantitate (quae omnino erat trium drachmarum cum scrupulo uno), ad haerente glutinositate quadam, hincque oriunda paullo minore tam amaritie, quam adstrictione recesseris, vix a resinoso illo descripto abludit. Relictam rhabarbari portionem cum spiritu vini rectificatissimo, simili illi, quem dixi §. anteced. commisui. Is vero, licet massa, per sex octoue dies, in loco moderate calido retineretur, levissime tantum tintus apparuit, vix tria grana soluta tenebis, docente id abstractione, quam institui. Residua demum pars constituit terram, cuius qualitates delineauit (§. anteced.). Ea ponderabat scrupulos duo cum decem granis <sup>iiij</sup>, mihiq; minus glutinosa videbatur, ac illa, quam dixi ab extracto resinoso superfluisse.

## §. IX.

- <sup>iiij</sup>) Vel ipse perspicio, calculos, in hoc et §. anteced. positos, non satis esse accuratos, vt inde ad veram partium, rhabarbarum constituentium, quantitatem colligere queamus. Non possumus facile, in peragendis hisce laboribus, vel summa adhibita diligentia, impeditre, quin partes quaedam filtris similibusque instrumentis, quibus utimur, adhaerant tenacius, quae calculos turbant. Praeterea partes, quarum copiam dimeriri cupimus, aliis saepe inquinantur corporis, quod disquirimus, particulis, quas vix ac ne vix quidem accurate ab illis separare possumus. Partes fluidae, extractis adhaerentes, non minus calculos mutant, nec licebit semper fortiori ignis gradum adhibere, vt expellantur istae, cum sic non aquafolum spiritusque, sed volatiles etiam remouentur corporum partes, quae omnino debuissent in rationem venire. Ut iam alia momenta mittam. Sufficit, es hic proposuisse, quae, quantum intingo, medico sunt scitu necessaria, quando, in disquirienda et perspicienda virtute rhabarbari medica, occupatus est.

B

## §. IX.

## 4. Terra eisque adhaerens glutinosum.

Vidimus iam (§§. VII. VIII.), inesse rhabarbaro terram. Ei autem adhaerescit glutinosum illud, quod vel ipsum rhabarbarum gustatum ostendit<sup>12)</sup>; quod terra adhuc, quam extractiones rhabarbari relinquunt, parcus continet; quod minus quidem spiritus vini rectificatissimus, at aqua demum soluit (§. anteced.), sic tamen, ut id facile iterum dimitat, comprobante hoc sedimento tincturae rhabarbari aquosae; quod demum efficit, ut terra rhabarbari quodammodo ad eam, quae argillacea est, accedat<sup>13)</sup>.

## §. X.

## Salinae particulae.

Quod rhabarbarum salinas particulas in sinu soueat, nemo facile negabit, qui perpendit, partes illud continere, ad quas constituendas sale opus est, qui que nouit, comitem de GARAYE<sup>14)</sup>, diuturnae triturationis ope, cui, cum aqua remixtum, rhabarbarum subiecit, verum eius essentiale salem adeptum esse. Videntur autem quidam, partium, quas dixi, mentionem ea ratione iniicere, ut credere fas sit, censere eos, salia rhabarbaro sic inesse, ut a paribus, hucusque commemoratis, discerni queant separatione exstant. Sic NEVMANNVS<sup>15)</sup> aperte profitetur, quinque debere miscibiles partes rhabarbaro tribui, quae sint: principium volatile, resina, gummi, terra & sal, addens lepidas rationes: Es

fund

<sup>12)</sup> VOGEL *Histor. mat. med.* pag. 210. Agnouit etiam hoc glutinosum A. L. HAAN (*libell. in quo demonstr. quod non solum veget.* etc. Vienn. 1766. p. 18. 32.) Patere etiam ex EIVS tentaminibus potest, illud terrae adhaerre, et difficulter ab aqua solui.

<sup>13)</sup> Forte etiam, ut sitam facile extractum rhabarbari contrahat. Vidi saltim, quod illud gummosum extractum, de quo §. VII. locutus sum, intra paucos dies, situm senserit, cum reliqua, licet eodem in loco asseruata, ab eo liberaria fuerint.

<sup>14)</sup> vid. EIVS *Chymia hydraulica* p.m. 135. Machinae Papinianae ope idem praefinita HAAN l. c. pag. 19.

<sup>15)</sup> l. c. p. m. 998.



sind auch, inquit, einige salinische Theile darinnen vorhanden, welche in der Mixtien als ein stimulans dienen, wie denn das Extractum spirituositum primum weniger, das aquosum primum aber so gut, als das aquosum secundum purgiret; auch will man den Effect, daß der Urin darnach gesher würde, denen salinischen Theilen zuschreiben. Sed ad haec facile respondetur. Nec censeo, posse satis accurate istam salinarum particularum praesentiam in rhabarbaro ostendi. Aqua ista rhabarbari destillata (§. VI), gustu explorata, salis indicia minime praebet. Extracta rhabarbari (§§. VII. VIII.), omni etiam aqua expulsa, nulla salina crusta teguntur. Terra demum rhabarbari omni sale caret. Quid vero? Nonne sal rhabarbari adeo forte est subtilis, vt, citissimum aufugium parans, in descriptis mixtionibus obseruari non potuerit? Repugnant huic ea, quae de sale rhabarbari notarunt G A R A Y E et H A A N. Praeterea, si foret adeo subtilis, aquae rhabarbari certe inesse debuisset. Nonne autem experientia, quae G A R A Y E et H A A N instituere, manifesto docent, salem adesse in rhabarbaro? Commonstrant id omnino. Quando vero diuturna trituratio et machina P A P I N I mixtionem corporum turbant: ex productis inde salinis particulis colligi nequit, eas, plane eadem ratione, rhabarbaro inexsistere.

### §. XI.

#### *Conseptarium.*

Constat itaque rhabarbarum ex specifico principio volatili, resina, gummi et terra glutinosa, idque ea quidem ratione, vt ipsi volatilis pars et resina minima, gummi maiori et terra glutinosa maxima in quantitate insint. H A A N ex vncia vna rhabarbari, cum illam in machina P A P I N I tractaret, obrinuit extracti rhabarbari drachmas tres et grana viginti tria, materiae vero albae mucilaginosae, omni odore et sapore orbatae, drachmas tres et grana quadraginta<sup>16)</sup>. Confer. etiam not. 8 et 10.

### B 2

### §. XII.

16) l. c. pag. 18.

## §. XII.

*Scholion.*

Supereft iam, vt vires rhabarbari e partibus, quas diximus, eruamus. Cum pateat ex superioribus, partem rhabarbari volatillem, eius resinam et gummi adeo facile ab aqua et faliua solui: de actiuitate rhabarbari nemo dubitabit, quam etiam experientia refatur. Ut vero hanc accuratius definiamus, cum non iij simus, qui sibi sumant eam, sola ducti ratione, e partibus miscibilibus deducere: iuuabit hic experientiam consulere, virtutes rhabarbari ex obseruatis cognoscere, dein autem modum adiicere, quo eas perficit praefatque.

## §. XIII.

*Virtus laxans.*

Nemo umquam, quantum scio, dubitauit, quod rhabarbarum vi blande laxante gaudeat. Consentunt in eo omnes. Quae-nam vero pars rhabarbari miscibilis hanc ipsi virtutem imperit? Volatilis omnino. Enimuero aqua rhabarbari destillata vim laxantem exferit (§. VI.); subiecta sensilia, quae vapores rhabarbari attrahunt, incident in aluum laxam, testante id etiam HERRMANN NO<sup>17</sup>; quae corpora actionem volatilis huius principii minuunt (§. cit.), laxantem etiam rhabarbari vim infringunt; quaevis rhabarbari praeparatio, sub qua volatile illud decedit, ipsi rhabarbaro partem virtutis laxantis detrahit, et tantam quidem, quantam istius principii rhabarbarum amisit<sup>18</sup>; diu denique asseruatum rhabarbarum, in puluerem redactum, vim demum laxantem perdit (§. VI.). Nec difficulter determinatur ratio huius virtutis. Id enim, quod volatile rhabarbaro inest, nares et linguam irritat, atque facile soluitur. Irritando ergo ventriculum et intestina, utramque hanc, ad fortiores actiones, sollicitat partem, quod vel ipsa nausea, inde

<sup>17)</sup> NEVMANN I. c.

<sup>18)</sup> NEVMANN, BOVLDÜC II. cc.

inde a rhabarbaro excitata, confirmat. Forte facilis rhabarbari ad intestina transitus, solutio eius successiue perficienda, eius cum bile conuenientia, et neruorum ventriculi constitutio cauent, ne emeticum id remedium euadat. Parcitas vero eius, quam volatilem diximus, partis, glutinosum et gummosum, cum ea commixtum, roboranr rhabarbari virtus, lenior ipsa irritantis partis actio efficiunt, ut vis rhei laxans blandior exsistat, nec homini nocua eueniat.

#### §. XIV.

##### *Virtus roborans.*

Si ab eo, quod BOULDÜC protulit, et de quo dein dicam, effato discesseris: nemo est, qui hanc rhabarbari virtutem in dubium vocauerit<sup>18)</sup>. Pater quoque facile, eam gummosae et resinasae rhabarbari partibus dandam esse, cum earum miscela aperte adstringente vi gaudeat (§§. VII. VIII.), caetera vero rhabarbari elementa ea destituantur. Nonne autem deletur haec rhabarbari virtus, affluente, eo propinato, maiori fluidorum copia ad intestina et ventriculum? Non deleri eam, docet tam euentus, quam analogia. Nonne augeri posset adstrictio haec, si, tostionis ope, volatilis rhabarbari pars separetur? Notum est, quam famosum quondam, in dysenteriis et diarrhoeis chronicis, rhabarbarum tostum fuerit, quod nunc fere exoleuit. Neque video, quid impediatur, quo minus quaestione affirmemus. Quamuis enim tostum rhabarbarum, ori interno applicatum, minime fortius, quantum mihi saltim videtur, adstringat: attamen ea ipsa praeparatione ista rhabarbari pars non nihil remouetur, quae, conuocando ad primas vias fluida, praedictam rhei vim delinire valet<sup>19)</sup>. Nonne autem haec ipsa volatilis pars roborando corpori inferuit? Videri posset, ac si res sic sepe habeat, dum irritat, atque notum est, frequentiores debilitatarum partium motus robur ipsis quoddam impertire.

At

18) NEV MANN, BOVL DIFC II. cc.

19) Noli haec ita interpretari, ac si crederem, rhabarbaro idcirco tosto in officinis opus esse. Extracta rhabarbari idem praestare possunt.

At enim uero euanescent haec ipsi adscripta virtus, si cogitetur, volatile illud irritare non solum, sed succos etiam copiosius, ad ventricum et intestina, allicere, quo ipso fit, ut robur, quod efficere posset in his partibus, ob enatam maiorem vasorum distensionem, destruatur. Nec dici debet, praestare id eam rhabarbari partem posse, quando cum adstringente parte coniuncta exsistit, quod haec, minuendo vasorum cauum, distensionem eorum metuendam praepedit. Quod enim si veritati consentaneum foret: rhabarbarum non posset vi laxante gaudere. Quare etiam extractum rhabarbari maiorem mihi, quam rheum ipsum, laudem hic mereri videtur, recteque parca, saepius vero repetita, dosis, magnae semel ingestae, praefertur. Maxime caeterum, quod hanc virtutem spectat, primas vias rhabarbarum afficit, siue id nunc fiat ideo, quod propinatum has partes proximius contingit, siue eam ob caussam eueneriat, quod conuenientiam quandam cum fluidis, hic secernendis, habet<sup>20)</sup>, siue demum ob vtrumque id obseruetur.

### §. XV.

#### *Sententia, quam fuit BOULDÜC.*

Contra roborantem rhabarbari virtutem pugnauit BOULDÜC<sup>21)</sup>. Cuius tamen sententia cum mili paullulum obscura videatur: eius verba apponam, adiectis monitis, ne scilicet iniurius in Eum videar. Man behauptet insgemein, inquit, die Rhabarbar sey zugleich zusammenziehend. Daraus schließt man, sie leere aus, indem sie stärke und zusammenziehe (quod omnino negari debet, cum ex dictis pateat, id, quod aluum laxam reddit, differre ab eo, quod adstringit. In quibusdam equidem subiectis remedia, quae polent virtute roborante, aluum soluunt; at casus eiusmodi speciales non

<sup>20)</sup> Assumferat non nemo rhabarbari puluerem cum vino rhenano. Alius eo die non soluebatur. Accidit id vero altero die. Nonne hinc concludere forte possumus, rhabarbari partes facilius paullo in primis viis, ac in reliquis corporis locis, secerni?

<sup>21)</sup> l. c.

non curat medicus); und können durch gewisse Zubereitungen ihrer Purgierkraft so beraubet werden, daß sie blos zusammenziehend und anhaltend bleibe (minime equidem affirmari potest, quod rhabarbarum, retenta adhuc vi roborate, virtute sua laxante, omni ex parte, priuari queat, vt pote quod experimentis repugnat, quae docent, extracto rhabarbari adstringenti odorem adhuc et saporem rhabarbari inesse; at imminui omnino vis laxans potest, superstite roborate); nicht anders, als wäre sie in ihrem natürlichen Zustande aus zween Theilen zusammengesetzt, die sich leicht von einander trennen ließen (constare rhabarbarum vere ex duabus partibus, quarum una laxat, altera roboret, ex antecedentibus, credo, satis appareat. Verum est, quod istae partes accurate a se inuicem sciungi nequeant; at volatilis tamen pars non nihil separari potest.) — Ich weiß, daß außer dem bittern und gar nicht unangenehmen Geschmacke, den man bemerkt, wenn man sie kauert, und der ihre Purgierkraft anzugebenscheinet, die Zunge auch eine gewisse Herbigkeit empfindet (pars rhabarbari, quae amaritie quadam linguam ferit, certe non ea est, quae vi laxante instructa est, cum aqua rhabarbari destillata nullam amaritatem prodat, licet partem laxantem contineat. Amara pars rhabarbari omnino est una eademque, ac adstringens) — Bisher aber hat man noch nicht erweisen können, daß die Theilchen, welche diese Herbigkeit auf der Zunge verursachen, auch in den Magen und in die Gedärme einen solchen Eindruck machen, daß sie dieselben zu Zusammenziehungen bringen, die denen ganz entgegengesetzt sind, durch welche die Materien von oben hinabzugehen, bestimmt werden (docuit id tamen obseruatio, toties repetita. Neque etiam ratio latet. Quan lo enim corpus roborans laxa intestinorum vasa afficit: sit inde, ut cæcum eorum coarctetur, vasa hinc minorem fluidorum copiam plorent, atque diarrhoea, inde oriunda, tollatur). Perspicimus interea ex allatis a me verbis, quid caussæ subs fuerit, quare in suam B O U L D U E inciderit sententiam. Censet enim, quod rhabarbarum, dum roborante sua virtute diarrhoeas tollit, debeat; partium adstringen-

gentium ope, motum intestinorum antiperistalticum *immediate* augere. Quod cum omnino falsum sit, docente scilicet experientia, vel has ipsas partes quandoque motum peristalticum adaugere, prout id salubris earum in obstrukione aluina, ex debilitate intestinorum oriunda, effectus testatur: credidit, omnino rhabarbaro vim adstringentem tribui non posse. BOULDÜC, quantum video, arbitratur, medicos, vim rhabarbari roboranrem urgentes, eam hac tantum indigitare velle, *qua diarrhoeas sifit.* Quod vero a veritate quam longissime recedit. Quando autem BOULDÜC potesta negat, terreis rhabarbari partibus nullam inesse vim roboranrem: facile possumus in eius partes transfire, licet sint medici, qui contrarium statuunt, facile refutandi.

### §. XVI.

#### *Aliae rhabarbari virtutes.*

Rhabarbarum vi roborante gaudet (§. XIV.), obque amari-  
tiem ad biliis naturam accedit. Erit itaque *remedium digestuum*  
et discutiens flatus <sup>22)</sup>. Pars volatilis, amara et adstringens effi-  
cient, ut polleat rhabarbarum vi fases quasdam *soluendi* <sup>23)</sup>, eas  
nempe, quae a debilitate maxime pendent, ac a fluidis sunt, non-  
dum nimium inspissatis. Vis soluens, digestiva ac laxans rhabarbari  
ostendunt, *non inutile id esse, in collaie verminosa, remedium* <sup>24)</sup>.  
Nonne etiam ob odorem nauseosum? Forte. Cum rhabarbarum  
corpus sit amarum ac adstringens: sit inde, *ut putredini resistat* <sup>25)</sup>.  
Conuenientia rhabarbari cum bile, vis rhabarbari laxans, soluens  
et antisepatica, illud *in biliosis affectibus commendant.* Cum etiam  
rhabarbarum in vias vrinarias agat, docentibus id spasmis eorum  
par-

22) VOGEL l. c. & alii plures.

23) IDEM l. c.

24) IDEM l. c.

25) Docuere id obseruata PRINGLI. Vid. MACKBRIDE Versucht p. 130.  
Non minus tamen acido primarum viarum rhabarbarum resistere potest,  
cum biliis munere fungi queat.

partium, ab usu rhabarbari quandoque prouenientium, ut et odo-  
re atque colore, quibus vrinam inficit <sup>26)</sup>: sequitur, rhabarba-  
rum vi etiam diuretica gaudere <sup>27)</sup>. Quod demum vi intestina  
irritandi instructum est: hinc *salubre in haemorrhoidariis atque  
vitiis mensium laborantibus remedium exsistere potest, licet, vel*  
*ob hanc ipsam caussam, non raro noceat, omnino tunc fugiendum.*

### SECTIO TERTIA.

DE

#### EXIMIA VIRTUTE

## R H A B A R B A R I IN MORBIS QVIBVS DAM CHRONICIS.

### §. XVIII.

#### *Vtilitas rhabarbari in morbis chronicis.*

**Q**ui dicta hucusque perpendit (§. VI. seqq.) eademque com-  
parat cum his, quae §. V. notata sunt, facile is, credo, concedet,  
rhabarbarum excellens plane esse, in morbis quibusdam chronicis,  
remedium. Magnam nempe hic laudem meretur, quod debilitati  
occurrit; quod neruis, ob amaritatem, amicum est; quod primas  
maxime vias roboret; quod cruditates ibi latentes expellit; quod  
colluviae verminosae mederi potest; quod digestionem adiuuat;  
quod acido putridoque resistit; quod etiam nocua quaedam, pro-  
ducta largiori diuresi, euacuare potest; quod mensum haemor-  
rhoidumque vitia passim emendat; quod stases quasdam soluit;  
quod humores ad intestina renesque deriuat; quod lentorem tol-  
lit

<sup>26)</sup> VOGEL I. c.

<sup>27)</sup> IDEM I. c.

lit, a laxitate inductum; quod fluiditatem minuit, ab eadem causa proficiscentem; quod demum blande agit. Confer. hic §. V. Quae vero cum ita sint, pater, rhabarbarum, relatum ad morbos quoddam chronicos, pluribus indicationibus, in personandis illis a medico necessario attendendis, satisfacere, atque posse ideo in iisdem, tamquam *remedium eximiae virtutis medicae*, considerari.

## §. XIX.

*Casus quidam recensentur.*

Posset id, quod monui, variis morborum chronicorum exemplis illustrari atque medicorum testimoniis comprobari. Ne tamen longus in re clara sim: obseruata tantum adducam, quae *Illustris EBERHARDVS*, vir de me optime meritus, mecum benebole communicavit. Vidua LXIII. annorum, ex obstructione hepatis incidit in febrem lentam, quotidie increcentem; accedunt deliria et involuntaria faciem aluinatur excretio. Optimis remediis frustra exhibitis, adhibebatur anima rhabarbari, cui quarta pars liquoris terrae foliatae tartari erat admixta. Eo remedio, cuius centum gurtulae quotidie exhibebantur, per tres septimanas, continuato, perfecte conualuit. — Virgo XXX. et quod excurrit annorum, febre tertiana continua corripitur, quae vero, subductis prius sordibus e primis viis, larga corticis peruviani dosi curatur. Admissis postea regiminis et diaetae viris, tumores pedum oedematosos concipit. Sola anima rhabarbari, quotidie ad duo cochlearia exhibita et per duas septimanas, continuata, non solum tumores pedum oedematosos profigauit, sed ventriculo etiam, antea debili, robur addidit. Aegra etiam perbelle, per plures annos, valuit. — Inuenis hypochondriacus, XXIV. annorum, incidit in satis largam haemoptysin. Vsu temperantium et venae sectionis cessauit quidem haemoptysis, leue tamen non raro recruduit sputum cruentum. Pluribus remediis frustra exhibitis, continuato animae rhabarbari vsu, perfecte conualuit.

## §. XX.

## §. XX.

*Vsus rhabarbari in morb. chronicis.*

Pro diuersitate morborum, subiectorum et conditionum, quas tollere medicum oportet, differant etiam dosis, forma, tempus propinandi rhabarbari necesse est. Non inutiliter quoque cum aliis remedii comimiscetur, resoluentibus, laxantibus, roborantibus, chinatis et opiatibus. Atque etiam id ex conditionibus praesentibus determinari debet.

CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
MEDICINAE DOCTORANDO

AMICO SVO SVAVISSIMO

S. P. D.

I. G. ZIERHOLD, MED. CVLT.  
MESO — MARCHICVS. OPP.

*Quid carius mihi esse potuisset, quid incundius, quam hodierni diei celebritas, quae, amorem erga TE meum animumque, pro amicitia TVA aestumatissima, qua me non putasti indignum, gratissimum publice TIBI declarandi, occasionem mihi praebet exoptatissimam? Jam, quatuor annis prueterlapsis, quibus in hoc litterarum commer-  
cio Professorum doctissimorum longeque celeberrimorum doctrinis es*

im-



imbutus, ille denique illuxit dies, qui praemiis TE donat, lucubratio-  
nibus TVIS indefessaque, qua in Medicinae studium numquam non  
incubuisti, diligentia dignissimis. Accipe nunc, VIR DOCTISSI-  
ME, coronam doctoralem redi in patriam, quae aude TE exspectat,  
et cuius arua dulcissima TE complecti cupiunt. Gratulor TIBI,  
gratulor PATRI TVO OPTIMO, et AMPLISSIMAE FA-  
MILLAE TVAE, gratulor denique patriae, quae TE Medicum  
habebit incomparabilem. Annuat Numen optimum maximum meis  
amicorumque TVORVM votis, TEque per longam annorum seriem  
felicem iubeat esse atque incolunem! Gratias, quod reliquum est,  
TIBI ago pro TVA amicitia, quae mihi semper fuit jucundissima,  
et ut imposterum TVO me prosequaris amore, etiam abs TE peto at-  
que etiam. Dabam Halae Magdeburgicae D. III. April. ccccclxxi.



024 0184

V018

ULB Halle  
003 103 110

3





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



DE  
EXIMIA  
BARBARI  
TVTE MEDICA  
QVIBVS DAM CHRONICIS

E DECRETO  
FACVLTATIS MEDICAE  
GIA FRIDERICIANA  
PRAESIDE  
CHRISTLIEB KEMME  
IC. PROF. PVEL. ORDIN.  
IMPER. NATVR. CVRIO. SODALI  
PRO  
V DOCTORIS  
RITE OBTINENDO  
I. APRIL. MDCCCLXXI.  
PVBLICE DISPV TABIT  
AVCTOR  
TLOB GERBER  
LVBENA SILESIVS.

HALAE  
TANNO HENDELIANO.

